


PAG. 12. col. 2. lin. 5. conjuugo, *leg.* conjuugo. Pag. 25. col. f. lin. 26. metum, *leg.* metu.
 Pag. 32. col. 2. lin. 39. Epiciam, *leg.* Epicejam. Pag. 43. col. 2. lin. 30. oratur, *leg.* oria-
 tur. Pag. 111. col. 1. lin. 14. poenitia, *leg.* poenitentia. Pag. 131. col. 2. lin. 39. delictis, *leg.*
 delicti. Pag. 139. col. 2. lin. 24. actus, *leg.* actu. Pag. 140. col. 1. lin. 43. fallas, *leg.* fallas.
 Pag. 152. col. 1. lin. 53. contradit, *leg.* contradixit. Pag. 153. col. 1. lin. 57. ordinatione,
leg. ordinationis. Pag. 157. col. 2. lin. 6. ixiltat, *leg.* exiltat. Pag. 167. col. 2. lin. 29. ex pri-
 vilegijs, *leg.* & privilegijs. Ead. pag. & col. lin. 46. & alias, *leg.* si alias. Pag. 170. col. 2.
 n. 42. ordinibus, *leg.* ordinibus. Pag. 172. col. 1. lin. 55. infervi, *leg.* si fervei. Pag. 173.
 col. 2. lin. penult. moris, *leg.* motis. Pag. 175. col. 1. lin. 16. num. 14. *leg.* 114. Pag. 184.
 col. 2. lin. 1. Cardinalibu, *leg.* Cardinalibus. Ead. pag. col. 2. lin. 44. sine, *leg.* sine. Pag.
 200. col. 2. lin. 32. abdurandum, *leg.* obdurandum. Pag. 216. col. 2. lin. 13. confules, *leg.*
 confulens. Pag. 218. col. 2. lin. 48. L. 6. *leg.* L. 60. Pag. 224. col. 2. lin. 30. invafus, *leg.*
 iovafus. Pag. 240. col. 2. lin. 34. explicari, *leg.* explicare. Pag. 246. col. 2. lin. ult. quo, *leg.*
 que. Pag. 255. col. 2. lin. 29. accepti, *leg.* accipi. Pag. 257. col. 1. lin. 38. fuerit, *leg.* fuerint.
 Ead. pag. col. 2. lin. 41. ex lege, *leg.* ea lege. Pag. 261. col. 1. lin. 9. lib. 7. cap. 50. *leg.* lib.
 10. cap. 7. Pap. 266. col. 1. lin. 53. permisisset, *leg.* promississet. Pag. 267. col. 2. lin. 18.
 hipotheta, *leg.* hipotecata. Pag. & col. ead. lin. 24. restitutione, *leg.* restitutioni. Pag. 282.
 col. 1. lin. 24. delinquentis, *leg.* delinquentes. Pag. 299. col. 2. lin. 30. fed, *leg.* se. Pag.
 304. col. 2. lin. 13. Communitatis, *leg.* Communitatis. Pag. 322. col. 2. lin. 23. infami, *leg.*
 infamia. Ibid. lin. 36. in officio, *leg.* in officioso. Pag. 332. col. 1. lin. 19. Affafinium, *leg.*
 Affafinium. Pag. 342. col. 2. lin. 33. mutans, *leg.* mutans. Pag. 343. col. 1. lin. 31. hu-
 mane, *leg.* humare. Ibid. col. 2. lin. 40. dolent, *leg.* dolet. Pag. 345. col. 1. lin. 27. princi-
 palicer, *leg.* principaliter. P. 350. col. 1. lin. 32. cap. 15. *leg.* cap. 16. Pag. 352. col. 1. lin. 10.
 cap. 28. *leg.* cap. 13. Pag. 353. col. 2. lin. 32. non, *leg.* non. Pag. 355. col. 1. lin. 19. quod,
leg. quo. Pag. 256. col. 1. lin. 42. ivocationes, *leg.* invocaciones. Pag. 359. col. 2. lin. 6.
 cum juramentum, *leg.* cum juramento. Pag. 382. col. 2. lin. 42. tractatu, *leg.* tractu. Pag.
 387. col. 1. lin. 14. statuit, *leg.* statui. Pag. 389. col. 1. lin. 25. Capituli, *leg.* Capituli. Pag.
 393. col. 1. lin. 12. aliorum, *leg.* aliarum. Pag. 395. col. 1. lin. 7. adquisierit, *leg.* adquisierit.
 El Libro intitulado: *Curso Juris Canonici, Hispani, & Indici, in quo, juxta ordi-
 nem Titulorum Decretalium*, fu Autor el Padre Pedro Murillo Velarde, de la Compania
 de Jesus, salvo las erratas de esta fee, corresponde con su original. Afí lo certifico, y firmo
 en Madrid á 18. de Febrero de 1763.

Doct. Don Pedro Fernandez del Val,
 Corrector General por S. M.

Las Licencias, Aprobaciones, y el Privilegio del Rey N. S.
 fe hallaràn en el Tomo primero.



LIBER IV. DECRETALIU.
 TITULUS PRIMUS.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.



Sponsalia in præ-
 senti, non su-
 muntur pro
 arrha, & nu-
 meribus, quæ
 sponte a spon-
 do dantur, ut
 in l. 5. C. b. t.
 Et i. Reg. 18.
 vers. 25. ibi:

Non habet Rex sponsalia necessè. Nec pro
 matrimonio rato, ut in c. 12. 27. *quæst.* 2.
 c. 22. c. 31. h. r. *Matth.* 1. l. 2. tit. 1. p. 4. &
 sponsalia de presenti appellatur: sed pro
 promissione futuri matrimonij, sic ab spon-
 dendo dicta. L. 2. ff. b. t. ibi: *Sponsalia dic-
 ta sunt à spondendo, nam moris fuit veteri-
 bus stipulari, & spondere sibi uxores futu-
 ras.* l. 1. tit. 1. p. 4. etiam appellatur *fides
 pactiois*, sicut matrimonium *fides consen-
 sus* dicitur. c. 1. b. t. & Sacramentalia matri-
 monij à D. Thom. appellatur. Sponfa-
 lia, juxta l. 1. ff. b. t. sunt *mentio*, & *repro-
 missio futurarum nuptiarum.* c. 3. 30. q. 5.
 l. 1. tit. 1. p. 4. ibi: *Llamado es desposorio el
 prometimiento, que facen los omes por pala-
 bra, quando quieren casar.* Regulariter, li-
 cèt non semper, nec necessario, præcedere
 debent matrimonium. c. 39. 27. q. 2. ut sic
 maturius deliberetur status, qui perpetuus,
 & indissolubilis est: & ut factis proclama-
 tionibus, impedimentum, si quod est, opo-
 natur, & probetur. c. *fin. de Claustris.
 despons. Triad. sess. 24. de Reformat. Matr.*
 c. 1. Sponsalia debent contrahi inter perso-
 nas habiles ad matrimonium postea con-
 trahendum, scilicèt, inter marem, & foemi-
 nam, & licèt impuberes pro illo tempore

matrimonium nequeant contrahere, possunt
 tamen celebrare sponsalia, cum hæc ad
 tempus matrimonij referantur. Ex rationis
 defectu nequeunt contrahere sponsalia
 amantes, furiosi, c. 24. b. t. l. 6. tit. 2. p. 4.
 nisi tempore lucidi intervalli: matrimo-
 nium tamen contractum non dissolvit su-
 perveniens furor. c. 26. 32. q. 7. Ebrüus,
 vel qui sensibus ita est destitutus, ut ne-
 queat instrui, quid sit matrimonium; secus
 si instrui valeat, & suum possit, saltem
 nutibus, præstare consensum, nisi mutus,
 & surdus sit. c. 23. b. t. l. 5. tit. 2. p. 4. ubi ut
 Regula generalis ponitur; *quod cum probi-
 bitorium sit editum de matrimonio contra-
 bendo, quicumque non prohibetur, per con-
 sequentiam admittitur.*
 2. Ad sponsalia ea deliberatio requiri-
 tur, quæ est necessaria, & sufficit ad
 mortale peccatum. *Sancb. lib. 1. de Matr.*
 D. 8. num. 5. Hinc invalida sunt sponsalia
 ante septennium contracta, nisi malitia,
 (hoc est, ulus rationis) impleat etatem.
 c. 4. e. 5. c. 18. *de Despons. Impub.* l. 6.
 tit. 1. p. 4. *Conni. BD. contra aliquos.*
 Sponsalia extorta per vim absoluram in-
 valida sunt; nam talis vis tollit liberta-
 tem, vel ex errore provenientia: nil enim
 tam contrarium est, consensui, quam er-
 ror. L. 15. ff. *de Jurisda.* l. 9. C. *de Jur.*
& fact. ignor. cum certè ad sponsalia sit
 necessarius consensus. Sponsalia metui,
 etiam gravi, extorta non sunt invalida,
 nec Jure Naturali, cum consensu constet,
 nec Jure Positivo; licèt matrimonium
 hoc jure sit invalidum, quia nullus Tex-
 tus invenitur, in quo sponsalia nulla de-
 clarentur: nam omnes loquuntur de ma-
 Tom. II. A tri-

trimonio, & in sponfalibus cessat ratio indissolubilitatis vinculi, ob quam matrimonia irritantur. Rescinduntur tamen sicut ceteri contractus metu extorti, & hoc, & non plus probat *c. 11. de Spons. impub.* Hoc tenent *Idesim. Henric. Less. de Just. lib. 2. cap. 17. n. 37. Castrop. tr. 2. D. 1. p. 9. n. 3.* contra *Abb. Covarr. Gutier. Azor. Barb. Laym. Lug. Sanch. de Matrim. lib. 4. D. 19. n. 3.* & alios. Sponfalicia amore, ira, vel alia passione impellente, contracta valent, cum hæc passiones non ita animum hominis turbent, ut cum à peccato mortali excusent, ac proinde habent libertatem ad sponfalicia requisitam. *Navarr. Man. cap. 18. n. 7. Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 8. n. 5. Molin. de Just. & jur. tr. 2. disp. 267. n. 1.* contra *Barth. Felin. & Decium, ex L. 3. ff. de Divort. & L. 48. ff. de Reg. jur. qui Textus intelligendi sunt de iracundia, quæ non sufficit ad peccatum mortale, quia rationis advertentiam admittit. Sed cum hoc rarissimè accidat, in dubio pro valore actus præsumitur, qui etiam est in possessione. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 8. n. 10. & 11.*

3 Promissio ad sponfalicia debet esse vera, hoc est, quod promittens habeat animum promittendi, nam etsi habeat animum non adimplendi, nec se obligandi; licet in tali fictione peccet, vere se obligat ad sponfalicia, quia essentia promissionis est promittentem obligari, ne infidelis existat. Quando verò promittens, ore tantum promittit, positivè, excludendo animum se obligandi, cum hæc fictio sit quid facti, debet ab ipso promittente probari, alias in foro externo obligabitur. Ex tali tamen promissione facta non resultat obligatio, cum animum promittendi desit; *arg. C. fin. de Condit. apposit. & actus agentium ultra eorum voluntatem non operentur. L. 19. ff. de Reb. cred. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 9. n. 5. Less. de Just. & jur. lib. 2. c. 18. n. 5.* & alij, contra *Gutier. de Matrim. cap. 9. Pontium lib. 12. de Matrim. cap. 2.* nisi damnium ex tali promissione facta tale promissario resultet, quod aliter nequeat reparari, nisi matrimonio contracto: tunc enim ad illud tenetur. Sic deflorans virginem sub promissione facta matrimonij eam determinate ducere tenetur, quando non potuit ipsa animum falacem facile percipere, & aliter nequit damnium reparari. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 10. n. 3.* si aliter possit reparari, tenetur sic deflorans ad constituendam dotem, vel ducendam uxore.

rem. Si tamen mulier facile animum falacem sub ficta promissione deflorantis cognoscere potuit, ob nimiam inæqualitatem conditionis, vel alias circumstantias, deceptioni consensisse censetur, ac proinde promittens ad nihil tenetur. *D. Thom. in 4. D. 28. q. un. art. 2. ad 4. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 10. n. 5.* & *comm. Expositores in c. 1. de Adulter.*

4 Cum promissio sponfalium dirigatur ad alterum, à quo est acceptanda, & à quo facienda est repromissio, debet ab ipso intelligi; ac proinde promissio merè interna non sufficit, sed aliquo signo externo exprimi debet, nec est necesse, etiam in eo, qui loqui potest, quod verbis declaratur consensus, sed etiam nutibus declarari valet. *c. 23. c. 25. b. t. Et ibid. DD.* hæc verba: *Ducam te in uxorem; tecum contrabam, &c.* certè sufficienter ad sponfalicia. Tamen promissio de sponfalibus contrahendis, non facit sponfalicia, sicut promissio venditionis non est venditio. *Covarr. de Spons. lib. 4. p. 1. cap. 4.* Quando verba, vel signa sunt dubia, debent interpretari juxta modum communem Provinciae. *c. 7. b. t. L. 34. ff. de Reg. Jur.* Et attentis circumstantijs juxta promittentis mentem, non enim intentio verbis, sed verba intentioni deservire debent. *c. 41. de Appellat. sic hæc verba: volo te habere in uxorem, si coram Parocho proferantur modo præscripto. In Trident. sess. 24. de Reform. matr. c. 1.* matrimonium faciunt: aliter, ad sponfalicia deserviant. Per hæc verba: *Nullam ducam, præter te*, sponfalicia contrahi, asserunt *Abb. & Buius in c. 9. b. t. Menoch. lib. 3. de Præsumpt. 3. n. 8.* sed cum hæc verba idem significant, ac ista: *Non ducam uxorem, vel si aliquam duxero; ducam te;* non iaducunt obligationem absolutam, sed conditionalem, vel disjunctivam, ac proinde ex circumstantijs possunt interpretari juxta promittentis mentem. *Covarr. de Spons. p. 2. cap. 4. §. 1. Sanch. de Matrim. D. 19. ex n. 5.* Annulū traditio, & receptio, seu subarratio, correctio manuum, vel missio jocalium, licet ex alijs honestis causis fieri possint, tamen ex consuetudine loci, & alijs adminiculis possunt esse signa sponfalium. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 22.* Sed in casibus dubijs, licet contra aliquem stet præsumptio pro sponfalibus, potest coram Judice probare ex alio fine, talia signa, vel verba posita esse. Sed an sponfalicia inrer impeditos contracta sub conditione, si Papa *ajpenjet*, valida sint; est questio ingens

inter *DD.* Negat *Rota in Possib. Farinae. 1. part. decis. 778. n. 5. Diana. part. 3. tr. 4. resol. 290.* & alij. Afirmant *Gutierrez Can. quest. lib. 1. cap. 22. n. 11.* & *12. Vincent. de Jusis de Disp. Matrim. lib. 2. cap. 1. à num. 78. Jea à n. 82.* pro concordia opinionum casus distinguunt, eos consule, & vide *n. 75. b. lib.*

5 Promissio sponfalium debet esse acceptata à promissario, sicut in alijs contractibus requiritur consensus mutuus; *arg. L. 1. ff. de Pact.* Et ante acceptationem realem potest resilere promittens, etiam si promissio gratuita, & jurata sit, & abienti facta, ut cum alijs tenet *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 6. n. 2.* contra *alios, nisi à Procuratore speciali, nomine absentis acceptata sit. c. 5. Qui Cleric. vel Voc.* Et insuper ad obligationem inducendam requiritur repromissio, ut ex definitione constat. *L. 1. ff. b. t.* ita ut non sufficiat simplex acceptatio ad tam gravem obligationem inducendam. *Navarr. Man. cap. 22. n. 18. Soto. Menoch. Gutier. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 5. n. 5.* contra *Palud. Vazq. Enriquez de Matr. L. 11. cap. 13. n. 2.* Nisi ex circumstantijs factis colligatur, acceptationem factam esse animo repromittendi: tunc enim sponfalicia contrahuntur, ita ut verificetur mutua promissio, quæ est omnino necessaria ad sponfalicia: siquidem cum sponfalicia sint previa Matrimonio, quod quidem utriusque contrahentis vinculum desiderat: ipsa quoque vinculum utriusque, & reciprocam, & mutuam promissionem necessario exigunt. Si Titius; v. g. ad oblatas sibi nuptias taceat, non censetur consentire: nam in his quæ præjudicare possunt, taciturnitas non habetur pro consensu, nisi quando tacens loqui teneatur, ut dissentiat; *arg. L. 8. §. 1. ff. de Procur.* Nec ex taciturnitate puella inducuntur sponfalicia, si ipsa præsentè, & tacente ejus Tutoris, cognati, vel fratres, nomine ejus contrahant sponfalicia; nam talis contractus adeò personalis est ut nullus præter parentes. *c. unic. de Spons. impuber. in 6.* pro alio consensum præstare possit, nisi specialiter ad hoc mandato instructus sit. *Covarr. de Spons. p. 1. cap. 4. n. 4. Gutier. de Matr. cap. 13. Sanch. de Matr. L. 1. D. 23. n. 9.* & videtur sentire *D. Thom. in 4. D. 27. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3.* contra *Hostiens. Rodrig. Enriq. de Matrim. L. 11. cap. 2. n. 6.* & alios. Filij, sive legitimi, sive illegitimi, sive emancipati, obligantur ad sponfalicia, nomine ipsorum contracta, à patre, vel

matre, sive præsentès sint, sive absentes; sive taceant, & non reclamant, postquam sicut contracta. *c. un. de Spons. impub. in 6. L. 10. tit. 1. p. 4.* Tunc enim suam mentem explicare tenentur: alias tacentes consentire creduntur. *c. 43. de Reg. Jur. in 6. D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 1. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 23. n. 3.* & alij, nisi ipsi filij dissentium probaverint. Idem de Matrimonio tenent *Covarr. de Spons. p. 2. cap. 4. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 23. n. 3.* & alij *DD.* sed cum sit speciale, & à jure exorbitans, quod parentes sine mandato possint pro filijs sponfalicia contrahere, & quod pro consensu filiorum eorum taciturnitas sufficiat. *c. un. de Spons. impub. in 6.* non est extendendum ad Matrimonium. *c. 28. de Reg. Jur. in 6.* præsertim, cum ex Matrimonio damnum irreparabile sequatur in vinculo indissolubili, quale non inducunt sponfalicia: quod maximè habet locum ubi *Trid.* est receptum. *Ponc. de Matrim. L. 2. cap. 14. n. 3.*

6 Sponfalicia debent contrahi cum persona determinata, sicut Matrimonium, ad quod sunt via; *arg. c. un. b. t. in 6.* Ideo, qui ex duabus sororibus unam ducere promissit, tenetur, unam ex eis eligere, qua electa, cum ea Matrimonium est contracturus. Idem est, si unam ex eis cognoscat, nam ea electa censetur, sicut ante Tridentinum, per talem copulam Matrimonium contrahatur. *c. 30. b. t. Sylv. V. Matrim. 2. n. 11. Perez de Matrim. D. 4. sect. 5. n. 18.* contra *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 26. n. 12.* similiter si quis promissit ex tribus puellis illam, quæ certum obsequium præstaret, ducere, una præstante, cum ea tenetur contrahere: præstantibus duabus, cum ea, quæ prius præstitit; *arg. c. 54. de Reg. Jur. in 6.* Illis tamen simul præstantibus, quamlibet ducere potest: nam in promissione alternativa electio est promissoris. *c. 70. de Reg. Jur. in 6. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 26. n. 4.* Sponfalicia clandestina, cum nullo jure prohibita inveniantur, valida, & licita sunt; nec *Tridentin. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1.* ut *Lex correctoria* debet ultra Matrimonium, de quo expressè loquitur, extendi, ut contra alios tenent *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 12. n. 2. Ponc. L. 12. cap. 5. n. 6.* & alij. Possunt probari sponfalicia per testes, & scripturam, etiam simplicem, & etiam sine die, loco, inscriptione, vel subscriptione: recognitam tamen à parte. Litteræ tamen anatoræ, in quibus scribens, puella

lam vocat sponsam, inter personas æquales aliquam presumptionem inducunt. *c. 9. 32. q. 4. & ad probationem coadjuvant.*

7 Sponsalia, etiam non jurata, legitime contracta utrinque producant obligationem iustitiae, & quidem gravem, quia materia gravis est: nam sponsalia sunt contractus, *facio, ut facias: c. 46. c. 47. 27. q. 2. c. 2. c. 10. c. 17. b. t. l. 7. tit. 1. p. 4. D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 1. ad 2. D. Anton. Sylv. Covarr. Gutierr. quos citat, & sequitur Sanchez de Matrim. lib. 1. D. 27. n. 2.* ac proinde ille, qui cum Titia contraxit sponsalia, postquam hæc sunt acceptata, etiam si non sint promissa, sub gravi, illi volenti tenetur adimplere promissionem, quin possit licite cum alia contrahere. *c. 23. b. t. c. 1. de Spons. duor. D. Thom. in 4. D. 27. art. 1. ad 2. Sanchez de Matrim. l. 1. D. 5. ex n. 8. & D. 27. ubi plures citat.* Quando certus terminus à contrahentibus constituitur est nuptijs, ille adimplendus est, nisi postea aliter conveniant. *L. 12. C. de Contrab. stipulat.* si nullus dies assignatus est, licet rigore juris ex tunc incipiat obligatio. *L. 14. ff. de Reg. Jur. regulariter* tamen non obligat sponsus, saltem per accidens, quousque sponsa adimplerem exigit. Et sic concordantur *AA. utriusque sententia Sanchez de Matr. l. 1. D. 18. n. 2. Gutierr. cap. 15. n. 5. Ponz. lib. 12. c. 6. n. 1.* Hinc, si aliquis ex contrahentibus sine causa resiliat, & alter instet apud Judicem pro contractu adimplerem, monendus est prius resiliens: & sic intelligitur vox *potius Text. in c. 17. b. t. a DD. apud Barbos. ibid. n. 3.* quod si hoc non sufficiat, censuris, & excommunicatione potest compelli: imò, & carcere ad sponsalia, etiam non jurata, adimplenda. *c. 10. b. t. l. 7. tit. 1. part. 4.* Nisi adeo pertinax sit, ut censura potius nocitura, quam profutura censeatur, & matrimonium infelicem exitum habiturum: nam tunc alia satisfactione, & poena impositis, Iudex à censuris absteinit. *c. 17. b. t. Cov. p. 1. de Spons. cap. 4. n. 3. Sanchez l. 1. de Matr. D. 29. n. 4.* Nec ex infictione censura libertas matrimonij infringitur, siquidem ipse promittens talem necessitatem sibi imposuit; & jam sua libertate usus est, sicut etiam in alijs contractibus accidit. *L. 5. C. de O. & A. Ubi ea, quæ à principio sunt voluntatis ex post facto sunt necessitatis. Et talis metus non est iniuste, sed iuste incussus, ac proinde matrimonio non nocet.*

8 Sponsalia, Jure Decretalium attentio, transcunt in Matrimonium de presententi, quando copula carnali confirmantur: secus est si copula non fuit secuta, sed solum fuit attentata per conatum ad ipsam. *c. fin. b. t.* nam jus præsumit, potius ex affectu maritali, quam animo fornicandi, talem copulam esse habitam; estque præsumptio juris, & de jure, contra quam in foro externo probatio non admittitur. *c. 15. c. 30. b. t. in foro tamen interno veritati statuitur; arg. c. 44. de Sent. excom.* Sed hoc non habet locum, ubi Tridentinum est admissum: nam in eo irritatur omne clandestinum Matrimonium: quod sine Parocho, & Testibus celebratur. *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Sanchez de Matrim. l. 3. D. 40. n. 3. Barbos. in c. 30. b. t. n. 11.* Et ita sentiunt omnes DD. præceptum Hispani, teste ipso *Barbosa.* Sponsalibus adijci possunt à contrahentibus quæcumque conditiones, & pacta jure non prohibita; v. g. de perpetuo habitando in aliquo loco, nam hoc pactum cedit non in detrimentum libertatis, sed in favorem Matrimonij, ut individua vita, & cohabitatio inter conjuges conservetur: & maxime in uxoris favorem, ne Patria deserta, vitam inter extraneos agere cogatur. Sic contra *Gom. 2. Var. cap. 10. n. 24. & alios tenent Navar. Man. cap. 14. n. 20. Sanchez de Matr. lib. 1. D. 40. n. 2.* Et colligitur ex *L. 89. tit. 18. p. 3. ibi: E promissio por si, è por sus fijos de morar en tal su heredamiento, para siempre jamás.* Mulier tamen non tenetur maritum sequi, si vanè, & sine justa causa domicilium mutet contra pactum: imò ipse potest compelli ad uxorem redire. *c. 10. de Reslit. Spoliat.* nec satisfaciendo uxori interesse: tamen uxor tenetur maritum sequi, etiam contra pactum, si ex causa justa domicilium mutet maritus, v. g. ob aëris intemperiem, nam tale pactum, etiam si juratum sit imbibit hanc conditionem: nisi nova, & justa causa mutandi superveniat; *arg. c. 25. de Jur. jur. Sanchez l. 1. D. 40. n. 6. contra alios.* Similiter potest adijci pactum, ut in certo loco non moretur, ut contra *Al. iatam. L. 5. conf. 34. n. 3. tenent Ponz. de Matr. l. 12. cap. 20. n. 9. & alij, quia nulli juri publico hoc opponitur, imò in favorem publicum potest cedere, ut sic publica pax conservetur.*

9 In sponsalibus possunt constitui *arrhae* non solum ex una parte, sed utrinque: ut contra *Barb. & Abb. tenent Covar.*

Cov. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 7. ex n. 7. Gutierr. de Matrim. cap. 18. n. 8. Sanchez de Matrim. l. 1. D. 35. n. 14. & probatur ex L. 84. tit. 18. p. 3. & ibid. notat Greg. Lop. Arrha hic intelligitur quidquid à sponsio, vel sponsa in pecunia, vel alia quacumque re sibi invicem in signum, & pignus matrimonij datur, & traditur. Si enim tantum promittitur, potius habet rationem poenæ. Sanchez de Matrim. l. 1. D. 35. n. 3. Ita tamen, ut si matrimonium contrahatur, possit arrha reperiri: si verò non contrahatur, suas arrhas amittit iniuste resiliens, & si quas accipit, restituit duplicatas. *L. 3. l. 15. C. b. t. imò, & quadruplicatas, si hoc pactum adijciatur: quod etiam de Jure Canonico locum habet. Sanchez de Matr. l. 1. D. 36. n. 11.* Et quidem sunt restituendæ, etiam ante Judicis sententiam, saltem postquam pars instat, & eas exigit: nam pactum, & contractus, etiam ante Judicis sententiam servari debet. Ita tenent *Molin. de Just. tr. 2. D. 97. Covarr. de Spons. p. 1. cap. 6. §. 8. n. 11. Azavedo, & alij, contra Nav. Man. cap. 23. n. 67. Sanchez de Matr. l. 1. D. 37. n. 4.* si resiliens sit minor 25. annis non amittit arrhas, etiam si resiliat, nec ipsas amittit pater sponsæ, qui tradidit arrhas, si sponsa contra patris voluntatem resiliat. *Sanchez de Matr. l. 1. D. 36. ex num. 8.* si volens contrahere matrimonium, nomine dotis, vel donationis propter nuptias promittat sponsæ 100. v. g. si cum ipso contrahat: talis promissio valet, nisi ex affectu turpi oriatur. *L. 47. §. 2. ff. de V. O. similiter, si aliquis in Testamento leget 100. Cajæ, si contrahat cum Titio, tale legatum valet, & à Caja adquiretur, si nubat: secus si nolit nubere. Nec ex hoc libertas matrimonij infringitur, quia solum agit de lucro captando, per quod ad Matrimonium allicitur. L. 17. §. 1. ff. de Condit. & demonstr. Sanchez de Matr. D. 33. n. 6. & alij. Solet etiam poena in sponsalibus constitui, solvenda à resiliente. Et tunc id quod nomine poenæ venit, non traditur, sed tantum promittitur, & regulariter in majori quantitate, quam arrha; *arg. L. 4. ff. ad S. C. Vellejan. quia facilius, quis se obligat, quam donat. Indè est, quod si talis poena à sponsio, vel sponsa, vel ab eorum parentibus, & Tutoribus (secus si ab extraneis) solvenda sit, cum libertatem matrimonij metu poenæ solvenda infringere possit, improbat à Greg. IX. in celebri; Text. in C. Gemma, 29. b. t. quod**

verum est, saltem, si solvenda sit à resiliente, etiam iuste, & ex causa legitima.

10 Hanc poenæ prohibitionem ex generalitate; *Text. in c. 29. b. t. ad casum, quo quis, etiam iniuste resilit ex modo generali respondendi extendere videntur. Sanchez de Matrim. l. 1. D. 30. n. 2. Gonz. inc. 29. b. t. n. 2. & alij, sed tunc non habere locum dictam prohibitionem, ac per consequens iniuste resiliens tunc solvere teneri poenam adjectam, defendunt Barb. in c. 29. b. t. n. 10. Suar. l. 2. de Jun. c. 23. n. 5. & alij, quæ sententia facile suadetur paritate arrharum, quas DD. sententia contrariæ, etiam de Jure Canonico admittunt, & à qua non satis se expediunt. Nec timor poenæ solvenda infringit libertatem, cum sit iuste incussus, sicut eam non infringit timor censura, qua iniuste resiliens cogi potest ad sponsalium adimplerem. *c. 10. b. t. Juramentum adjectum pacto de poena solvenda à resiliente iniuste validum est, secus juramentum de poena solvenda à resiliente iuste, & cum causa: ac proinde nec firmat promissionem invalidam, nec producit obligationem Religionis. Sic contra aliquos tenent Suar. l. 2. de Juram. cap. 23. n. 5. Sanchez de Matr. l. 1. D. 32. n. 21. & alij; nam cum tale pactum sit invalidum ob publicam utilitatem, quantum libertati matrimonij opponitur; est contra bonos mores, ac proinde, nec juramento illi adjecto firmatur, cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, nec est obligatorium juramentum contra bonos mores prælitum. *c. 58. de Reg. Jur. in 6.***

11 Sponsalia non solum morte naturali alterutrius contrahentium, sed etiam utroque superstitute, varijs modis solvantur. 1. sponsalia, etiam jurata, per utriusque mutuum consensum solvantur, sicut societas, & alij contractus. *C. 2. b. t. l. 8. tit. 1. p. 4.* Nihil enim tam naturale est, quam res solvatur eo modo quo colligata fuit. *C. 1. de Reg. Jur. l. 35. ff. eod. & juramentum sequitur naturam actus, cui accedit. C. 25. de Jur. Jur. ac proinde solutis sponsalibus: & juramentum solutum est; *arg. C. 42. de Regul. Jur. in 6. ubi dicitur, quod accessorium sequitur naturam principalis, sed cum plerumque, causa dissolvendi sit occulta, & sponsalia publica, & ex hoc possit aliquod populo generari scandalum, quatenus credat, perjurium committi, debet Episcopus monere sponsos, fidem datam serva-**

re: quod si noluerint, in patientia tolerabit. *C. 2. h. t. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 52. n. 2.* Similiter dissolvuntur, etiam si juramentum principaliter in honorem Dei sit praestitum; v. g. si quis juret ducere puellam pauperem, pietatis intuitu; quia Deus solum in favorem puellae promissionem creditur acceptare: puella ergo renuntiantem juri suo, etiam ex parte Dei intelligitur renuntiatum. Ita contra *Abb. Sylv. Soto. L. 8. de Just. q. 1. art. 9. ad 2. tenent Gutierr. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 52. n. 8. & alij*: etiam si copula sponsalia roborentur, ut declaratum testatur *Pignat. tom. 9. conf. 133. n. 45.* Quando impubes contraxit sponsalia, si cum pubes est, etiam solus dissentiat, solvuntur sponsalia. *C. 7. de Spons. impub.* si tamen jurata sunt, utriusque dissentius requiritur. *c. 10. h. t.* Etiam solvuntur sponsalia, non impleta conditione sponsalibus adjuncta, cum tunc consensus deficiat. *C. 3. de Condit. apposit.* 2. dissolvuntur dispensatione. Et quidem solus R. Pontifex dispensare valet, & non aliter, quam ob gravem causam, cum jus tertio per sponsalia sit adquisitum: quod si jurata sint, gravissima requiritur causa, *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 61. & alij.* 3. solvuntur, si unus sponforum contrahat cum alia matrimonio, quia cum hoc sit fortius jus, dirimit sponsalia, quae sunt vinculum minus forte. *c. 1. h. t. c. 1. de Spons. duor. l. 8. tit. 1. p. 4.* si sponfus fiat Religiosus; *arg. c. 7. de Convers. conjug. L. 8. tit. 1. p. 4.* vel si Sacrum Ordinem suscipiat. *c. 1. c. 2. Qui Cleric. vel vocent.* quia ob votum castitatis redditur inhabilis ad matrimonium.

12 5. Si aliqua notabilis mutatio, vel circumstantia post sponsalia contracta ex parte alicujus ex contrahentibus de novo accidat, vel saltem appareat: cum in jure equiparentur non esse, & non apparere. *L. 77. ff. de Contrab. empt.* Sponsalia enim ex parte ejus, qui mutationem non est passus dissolvuntur, nam semper in sponsalibus imbitur hac conditio: *Si res in eodem statu permanent.* Sponsalia, etiam jurata, solvuntur ex parte alterius contrahentis, qui non est passus mutationem, ita ut ab eis recedere possit, si velit, si ex circumstantiis sit verisimile, se non contracturum, & ipsi cum juramento hoc asserenti, si aliter non potest probari, in utroque foro creditur. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 62. n. 6. Navarr. & alij.* Si vero huic juri in sui favorem introducto renuntiet, pars altera, quae mutationem

passa est, illis tenetur stare. *Sanch. de Matr. l. 1. D. 57. n. 5.* Mutatio sufficiens ad sponsalia dissolvenda est omnis ea, quae judicio prudentum, si à principio extitisset, vel esset cognita, à sponsalibus ineundis abstruisset alterum contrahentem; v. g. si aliquis ex eis ebriatus, vel alij vitio sit deditus, vel in magna asperitatem morum, & lasciviam incideret; *arg. c. 13. de Resp. spol.* vel si infamatus sit ob haerem, vel furtum, vel si inter ipsos sponfos, vel eorum familias graves inimicitiae sint exortae, vel si aliquis incurabilem, & contagiosum morbum, vel lepram, epilepsiam, vel morbum gallicum, vel oris fetorem contraxit; vel si alicui gravis deformitas corporis superveniat v. g. si fiat caecus, vel luscus. *c. 25. de Jur. jur. l. 8. tit. 1. p. 4.* sponsa non adeo facile potest resilire ob deformitatem sponfi: nisi hac sit valde gravis, sicut posset sponfus ob minorem sponsae deformitatem: quia in viris non adco, ac in infemina, ætatur pulchritudo. *Sanch. de Matr. lib. 1. L. 57.* Etiam est causa resilirendi, si sponsa, vel ejus parentes nolint dotem promissam dare; *arg. c. 3. de Condit. apposit.* vel si unus bonorum jacturam magnam sit passus: tunc enim resilire potest; quod si ambo bona amiserant, cum minus idonei ad onera matrimonij sint facti, uterque potest resilire. *Ponce de Matr. l. 1. r. cap. 17. & alij.* Si vero sponfus; v. g. post inita sponsalia, divitijs, dignitate, vel nobilitate notabiliter sit auctus, cum sponsa in suo statu maneat, sicut erat tempore sponsalium, nec sit facta deterior, non potest ab eis resilire, ut contra aliquos tenent *Gutierr. de Matr. cap. 33. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 59. n. fin.* Si in his casibus sponfus post notitiam mutationis ex parte sponsae eam carnaliter cognoscatur, censetur juri suo renuntiasse, ac proinde nequit resilire. *D. Thom. in 4. D. 35. q. un. art. 1. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 66. n. 2. & alij.*

13 6. Si unus sponforum fornicetur, & de fornicatione pleae constet, vel ita ferat communis fama, ex parte innocentis solvuntur sponsalia, secus ex parte nocentis, ne ex sua culpa lucrum reportet cum innocentis praerjudicio: ac proinde si innocens velit, ipse nocens adimplere tenetur. *c. 25. de Jur. jur. l. 8. tit. 1. p. 4.* non solum, si sponsa fornicetur, sed etiam si sponfus fornicetur; potest sponsa resilire: quia uterque tenetur alteri fidem servare: sic etiam adulterium

mariti jus dat uxori ad divortium. *Sanch. de Matr. l. 1. D. 55. ex num. 4 Covarr. Gutierr. & alij.* Hinc, si uterque fornicetur, uterque resilire potest: quia licet neuter possit alteri fidem violatam obicere, potest de alterius fide conjugali non servanda timere: ac proinde habet sufficientem causam ad resilendum à sponsalibus: licet in simili casu neuter ad divortium agere possit, quando matrimonium est contractum. *c. 6. de Adult.* ob majorem vim matrimonij, licet alij aliter. Deinde sponfus à sponsalibus resilire potest, si sponsa ab alio corrupta, vel fornicata est, etiam ante sponsalia, & hoc ignorabat sponfus; vel si erat vidua, etiam honesta, cum sponfus virginem esse crederet; vel si ab alio, etiam per vim fuit corrupta; vel si admisit ractus impudicos, vel oscula. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 55. & 63.* Quia etiam quando sponsa vi corrupta est, multo sit vilior sponso, & deinde datur periculum, ne prolem alienam pro sua alar. Si vero haec contingant sponso, non licet regulariter sponsa resilire, cum ex eo non fiat sponfus notabiliter vilis, nec sponsa cum illo contrahens nota afficiatur, nisi ex frequentia tactuum impudicorum, vel fornicationis sponfi cum alijs timeat sponsa, facile illum ipsi violaturum fidem: vel nisi sponfus sodomiticam vim passus esset: nam tunc redderetur vilior. Similiter, si unus ex eis incidat in fornicationem spirituales, scilicet, haerem, seu apostasiam, solvuntur sponsalia ex parte innocentis, cum hac causa, etiam ad divortium sit sufficiens. *c. 2. de Divort.*

17 7. Si sponfus in terras remotas incia, vel invita sponsa discedat animo, ibi figendi domicilium, cum renuntiasse sponsalibus per ipsum factum censetur, potest sponsa alteri libere nubere. *c. 5. h. t. l. 8. tit. 1. p. 4.* Si de sponsa voluntate discessit, expectandus est usque ad tempus conventum; quod si intra illud non veniat, creditur, renuntiasse sponsalibus; si non longe discedat, ejus animus requirendus est. Si in remotas terras discedat, unde non sit spes brevi redditurum, sponsa est libera à sponsalibus. Si de intentione absentis, & absentiae diuturnitate dubitetur, requirendus est per Epistolam: quod si non possit hoc fieri, sponsa ad Judicem recurrit, ut circumstantijs attendis, ejus libertatem ad alias nuptias transeundi, declaret, quamvis in *L. 8. tit. 1. p. 4.* dicatur, quod

sponsa debet per tres annos expectare sponsum. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 54. Gonz. in c. 5. h. t. n. 3. 8.* Quando certus fuit dies appositus sponsalium obligationi finiendae; quod sane ex verbis constabit, vel ex circumstantijs colligetur; si statuto tempore per utriusque culpam fuerit, ne sponsalia adimplerentur ex parte utriusque solvuntur: si ex alterius culpa fuit ipse est obligatus, ne ex sua culpa commodum reportet: alter vero non est obligatus, etiam si sponsalia jurata sint. *c. 22. h. t. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 53. n. 6.* Si alteri citra culpam impedimentum accidat, ut non possit implere sponsalia tempore statuto, & alter paratus sit adimplere, ille ab obligatione sponsalium liberatur, cum contractus legem accipiant à contrahentibus, etiam si nulla culpa detur. *L. 23. ff. de Reg. jur. sic Navar. Man. cap. 22. n. 27. cal. 12. & alij contra Sanch. de Matr. lib. 1. D. 53. n. 7.* Quando vero dies est praestus obligationi adimplendae, cum duas obligationes contineant, alteram, scilicet, adimplendi, & alteram ultra talem diem non differendi, etiam si haec elapso termino non habeat locum; manet tamen altera, adimplendi, scilicet, ac proinde sponsalia manent firma ex parte utriusque; *arg. c. 6. de Dol. & contum. Covarr. de Spons. p. 1. c. 5. n. 8. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 53. n. 9.* Superveniente impedimento indispensabili, v. g. impotentia; sponsalia antecedentia dissolvuntur, ne ad matrimonium impossibile sponfi teneantur, contra *L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6. L. 8. tit. 1. p. 4.* Si impedimentum sit dispensabile, v. g. impedimentum ex fornicatione sponfi cum sorore sponsae; ex parte innocentis ob notabilem mutationem factam, solvuntur sponsalia; *arg. c. 25. de Jur. jur. nocens* vero si absque graviori incommodo, quam quod pateretur sponsa, possit dispensationem perere, eam petere tenetur, ut reparat damnum, quod sua culpa causavit sponsae, si ipsa adhuc pro adimplitione urgeat: secus si ipsa renuntiet suo juri. Hinc est, quod per supervenientiam impedimenti tantum impedientis sponsalia non dissolvuntur. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 56.*

15 Si de praedictis causis liquido, & certo constet, non requiritur Judicis auctoritas, ut sponfi à contractu discedant, cum sit imbita ea conditio, nisi *visa causa discedendi detur.* Licet in matrimonio jam contracto ad divortium requiratur

tur Judicis sententia ob ejus indissolubilitatem. c. 1. 33. q. 2. Si tamen dubium, vel juris, vel facti incidit, est necessaria Judicis Ecclesiastici autoritas. Si sponsalia sint publica, & aliquod timeatur scandalum generari, erit consultius, & securius, ut qui vult resiliere, coram Judice se sistat, ab eoque petat, declarari esse justam causam recedendi. *Nov. Man. cap. 22. n. 28. Sanch. lib. 1. de Matr. D. 69. n. 3. Pons. l. 12. cap. 18. n. 8. & alij.* Si agatur de jure resiliendi, requiritur plena probatio. V. g. duorum testium omni exceptione majorum; quia agitur de tertij præjudicio: si causa, quæ proponitur impedit, vel dirimat matrimonium, sufficit ad ipsum impediendum depositio unius testis, alias non idonei, vel confessio saltem unius ex contrahentibus, vel fama publica. c. 12. b. t. c. 2. de *Conj. & affinit.* quia agitur de periculo animæ, & peccato vitando, quale ex matrimonio nullo sequeretur; ac proinde sufficit minor probatio in favorem animæ. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 71. n. 1. & segg.* quod si sponsalia erant jurata non dissolventur per dictum unius testis. c. 12. b. t. Etiam si talis sit integer, idoneus, & omni exceptione major, ob juramenti Religionem. Nam cum Ecclesia sit certa de perjurio, si non adimpletur sponsalia, & sit incerta de impedimento, quod ex unius tantum testis depositione novit; ideo eligit tutius, quod est, servari juramentum, & sponsalia. Aliud est in c. 2. b. t. Ubi sponsalia, etiam jurata dissolvuntur per mutuum utriusque consensum: nam tunc non est dubium, quod sponsalia ex se hoc modo dissolvantur: & cum juramentum eorum naturam sequatur, dissolutis sponsalibus cessat juramentum: addit enim vinculum religionis, ac proinde, si quis, altero invito, resiliere, non solum faceret contra obligationem justitiæ ex sponsalibus ortam, sed etiam contra obligationem religionis ortam ex juramento. Et prædicta sententia clarè habetur in L. 18. tit. 9. p. 4. ibi: *E esto es, porque tovo por bien Santa Eglefia, que sobre tal razon, como esta, que fusse cabido testimonio de un ome bueno, o de una buena muger: o que se embargassi tal casamiento por la fama de aquel lugar. Mas si tal desposorio, como sobredicho es, fusse firmado por jura, non seria ercido en su cabo ningun despos sobredichos: mas deben caber el testimonio del uno de ellos con otro, o con la fama de la vecindad.* Et ibid. *Greg. Lop. Y. Por jura, & alij*

contra *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 71. ex n. 8. & alios*, qui tenent talia sponsalia depositione unius testis integri, vel etiam fama dissolvi. His de Sponsalium natura, & obligatione tamquam per transiendam attackis ad matrimonij naturam, impedimenta, obligationes, & qualitates explanandas gradum faciantur.

16 *Matrimonium*, sic à *Matre* dicitur, quasi *Matris munium*: tum quia Mater sola in proli generatione est certa, cum Pater semper incertus sit: tum quia proles est Matri ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa, ac proinde magis Matris, quam Patris munium proprium videtur. c. *fin. de Convers. infidel. l. 2. tit. 2. p. 4.* Etiam dicitur *consortium* quasi ejusdem sortis *communicatio*. L. 1. ff. de *Ritu nuptiar.* Etiam *conjugium* ob animorum, & corporis conjunctionem. c. 5. 27. q. 2. Dicitur deinde *connubium*, & nuptiæ à nubendo, vel obnubendo, quia olim foemina velo, quasi nube, se pudoris gratia tegebant. c. 7. e. 8. 30. q. 5. Sed hodie potius solemnitas, quam ipsum matrimonium nomine nuptiarum venit; ut pater, quando certis temporibus nuptiæ prohibentur, id est, solemnitates, & benedictiones, non tamen matrimonium. Etiam matrimonium nomine sponsalium de presenti aliquando significatur. c. 12. 27. q. 2. c. 22. b. t. L. 2. tit. 1. p. 4. Matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum potest considerari, quia utramque rationem continet, Matrimonium, ut contractus, fuit institutum in Paradiso ante peccatum primi parentis per illa verba, quæ Adam, Deo inspirante, dixit (quando Dominus adduxit Hevam ad eum) *hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea, & erunt duo in carne una.* Quamvis alij dicant, fuisse institutum, quando Dominus dixit: *Crescite, & multiplicamini*; sed hæc verba solum ad benedictionem pertinebant, & jam per verba prædicta, quæ præcesserant, matrimonium erat institutum. Sic expresse habetur in L. 4. tit. 2. p. 4. facit *Text. in c. un. de Vot. in 6.* & satis clarè habetur in *Trid. sess. 24. in prin.* sic etiam *D. Aug. D. Ambr. D. Bonav. Magist. Sent. & alij apud Sanch. de Matr. l. 2. D. 4. n. 2. Pons. de Matr. l. 1. cap. 3.* & quia ex inspiratione Divina Matrimonium institutum est, frequenter dicitur, quod Deus, ut Author naturæ matrimonium instituit; nec in hac locutione difficultatem habemus, si prædicto modo intelligatur, Ma-

rimonium quidem ante Adæ peccatum erat precise in officium naturæ, quia adhuc non erat concupiscentia, & cum hæc post peccatum Adæ viguisset, coepit matrimonium esse etiam in ejusdem remedium. Et sic debet intelligi, quod dicit *Mag. Sent. in 4. D. 26. cap. 2. Conjugij institutio duplex est, una ante peccatum ad officium facta est in Paradiso, ubi esset torus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent: altera post peccatum ad remedium facta extra Paradysum. 1. Ut natura multiplicetur. 2. Ut natura exciperetur, & vitium cohiberetur.* Et quidem initio mundi, & statim à diluvio, omnes præcepto naturali, & probabiliter præcepto Divino positivo imposito in illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*: tenebantur matrimonium contrahere, utpote necessarium ad generis humani propagationem, sed hodie utrumque præceptum cessat quoad obligationem in individuo: imò laudabilius est castitatem fervare, quam contrahere matrimonium. *Matth. 19. ut 2. Apost. 1. Cor. 7. v. 38.* ac præterea nunc tantum Rempublicam obligat in communi, ut necessitate occurrente compellat subditos contrahere matrimonium. *D. Thom. in 4. D. 26. q. 1. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 3. n. 3.* qui etiam tenet, deficientibus secularibus, Religiosos teneri matrimonium contrahere, quod quidem negat *Pons. de Matr. lib. 1. cap. 4. n. 11.* qui credit, quod in tali casu jam mundi finis adesset. *Matrimonium ergo, ut contractus est viri, & mulieris legitima conjunctio individuum vita consuetudinem continens. L. 1. ff. de Ritu nuptiar. §. 1. Inff. de Patr. potest. c. 11. de Præsumpt. L. 1. tit. 2. p. 4. hoc esse, est conjunctio, non corporis, sed animorum consensus: nam matrimonium non concubitus, sed consensus facit. L. 30. ff. de Reg. jur. legitima, id est, inter personas nullo modo impeditas; individuum vita consuetudinem continens: per quod à concubitu, & alijs contractibus, natura sua dissolubilibus, differt; nam matrimonium sua natura, & Dei institutione ob proli generationem, & meliorem ejus educationem, vinculum continet indissolubile. C. *fin. de Condit. apposit.* Hanc conjugatorum unionem, per quam ipsi debent esse cor unum, & anima una, explicarunt Gentiles in conjunctione *Salmacis*, & *Hermaphroditi*.— *Nam mista duorum corpora junguntur facie, que inducitur illis— Una veluti siquis conducta**

cortice vamos— Crescendo jungi, pariterque adolere cernat.

17 *Matrimonium triplex est: 1. Legitimum*, quod tantum habet rationem contractus non Sacramenti, ut olim in Lege Naturæ, & *Mosayca*, & hodie inter Gentiles celebratur. c. 7. de *Divort.* 2. *Ratum*, quod ab Ecclesia approbatur, & habet rationem Sacramenti, ac proinde tantum inter Christianos celebratur, sed copula nondum consummatum est; *arg. L. 30. ff. de Reg. jur. L. 4. tit. 1. p. 4. 3. Consummatum*, quod scilicet postquam legitime contractum est, copula perficitur, & quidem copula perfecta, & sufficienti ad generationem: sufficereque, ut matrimonium censeatur consummatum, quod quomodocumque, etiam *Dæmonis* ministerio semen virile recipitur in vase foeminae: non tamen sufficit vas penetrare mulieris, nisi semen intra ipsum effundatur: nam tunc solum, quando sic effunditur fiunt conjuges una caro, per sanguinis, & seminis mixtionem, & producitur affinitas. c. 2. de *Convers. conjugat. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 21.* Et quamvis aliqui teneant, ad hanc consummationem requiri foeminam seminare, quia ejus semen est necessarium ad generationem juxta *Hippocrat. & Galen.* tamen communis est, non requiri ad consummationem matrimonij foeminam seminare, alias pluribus scrupulis esset expositum matrimonium. Nec sufficit ad consummationem, quod conjuges ante matrimonium contractum, se cognovissent carnaliter, nulla data fide de matrimonio contrahendo. Copula etiam vi extorta intra bimestre matrimonium consummatur, & sit indissolubile, cum jam per commixtionem sanguinis, conjuges una caro fiant, & talis copula pariat affinitatem. c. 6. *De eo, qui cognovit.* ut contra *Abbat. in c. 2. de Convers. conjugat. tenet Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 4. n. 10. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 22. n. 4.* qui videndus omnino est, & *Pons. de Matr. lib. 9. cap. 10.* matrimonium ratum, quod consistit in consensu animorum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & iustorum animam; juxta illud *Apostoli: qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo.* Consummatum, quod consistit in corporum commixtione significat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Ecclesiam juxta illud *Evangelij: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. c. 5. de Bigam.* significat enim unionem Ecclē-

fiæ cum Christo, & sicut hoc matrimonium est individuum, sic Ecclesia, id est, fidelium congregatio, numquam à Christo separatur. *L. 5. tit. 1. p. 4.* Profecto apud omnes Nationes, aliqua adhibebatur solemnitas nuptijs, & matrimonijs, sic *Ovid. Metam. lib. 7.* ait: *Tibi se semper debet Jason: Te face solemnij junget sibi.* Et in *e. 1. 30. q. 5.* ait: *Evaristus Papa. Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus sponsetur, & legibus doctur, & suo tempore sacerdotatè, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à Paranympis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata à proximis congruo tempore petita. Legibus datur, ac solemniter accipitur, & bido, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant.* Sed hodie plura ex his non servantur, & hæc si aliquando viguerunt, jam desuetudine abrogata sunt. Matrimonium ergo, quod juxta dispositionem Canonum celebratur, & hodie, juxta Tridentinum, validum est: etiam si aliqua solemnitates civiles desint, vel Lex, vel consuetudo loci, vel regionis non seruetur. *e. 1. b. t.* Lege quidem Pontificia forma contractus matrimonialis immutari potest, & defacto est immutata, quatenus irrita sunt matrimonia clandestina. *Trid. sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1.* Olim tamen uxor sine legitima solemnitate ducta dicebatur concubina. *e. 4. c. 5. D. 34.* licet, verè esset uxor. Solemnitates Lege Regni requisitæ, si contra substantiam matrimonij non sint, debent seruari: hinc matrimonium *Morganaticum*, seu conscientie valetale est, quando vir illustri contrahit legitime matrimonium coram Parocho, & restibus cum femina inferioris conditionis adjecto pacto, ut ipsa uxor, & ex ea descendentes contenti sint dono nuptiali, quod Morgengaba, & corrupte Morganatica dicitur; vel alia portione, tunc assignata, & abstineant à Titulis, Dignitatibus, & bonis paternis, & avitis.

18 Rursus, matrimonium aliud est, verum, quod scilicet verè contractum est, & probatur, vel ex Libro matrimoniorum Parochi, vel ex Parochi asserzione, vel per duos testes, etiam consanguineos, & feminas, vel quia vir, & femina conjuges se nominant, vel ex confessione ipsorum, vel ex diutur-

na cohabitatione, vel ex fama publica. *e. 11. de Præsumption.* Aliud est præsumptum, quod scilicet, à jure præsumitur. Tale est, quando sponsi post sponsalia contracta te carnaliter cognoscunt, *e. 15. c. 30. b. t.* etiam si sponsalia sint conditionata, & nondum sit adimpleta conditio: nam si copula sequatur, tunc purè censentur contrahere. *e. 6. de Condition. apposit.* vel quando impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem, matrimonium contrahunt, quod tunc est invalidum, ratificatur tamen, si post pubertatem aliqua signa ratificati consensu præbeant. Talia sunt, non solum copula, sed etiam oscula, amplexus, munera, cohabitatio. *c. ur. §. Idem, de Spons. impub. in 6.* hoc matrimonium præsumptum hodie solum habet locum, ubi non est admissum. *Trident. nam hoc sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 1.* irritat matrimonia clandestina, qualia sunt prædicta. Aliud est putativum, quod scilicet, celebratur in facie Ecclesiæ, & bona fide saltem ex parte unius, ac proinde verum matrimonium putatur, cum verè nullum sit ob aliquod impedimentum latens, habet tamen vim legitimandi prolem ex tali matrimonio legitimum. *e. 14. Qui filij sint leg.*

19 Ad matrimonium omnino necessarius est mutus conjugum consensus, sicut ad alios contractus; imò fortiori jure in matrimonio requiritur ad prolem procreationem, rectam ejus educationem, & fidei conjugalis observantiam. *e. 2. 27. q. 2. c. 14. c. 23. b. t. Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1. L. 5. tit. 2. p. 4.* ibi: *Consentimiento solo con voluntad de casar, face matrimonio entre el varon, & la muger.* Nec potest suppleri ab Ecclesia, vel alia potestate humana. *Covarr. de Spons. cap. 4. pr. num. 4. & p. 2. cap. 2. n. 1. Sanch. de Matrim. L. 2. D. 27. n. 2.* Imò nec de potentia Dei absoluta, cum matrimonium, prout defacto est institutum ex sua essentia sit conjunctio animorum maris, & femine ad individuum vitæ societatem, quod sine eorum consensu percipi nequit. *Sanch. de Matrim. lib. 3. cap. 3. n. 4.* Nam licet Deus, ut Supremus Dominus, possit homini in corpus alterius dominium dare ad actus conjugales, hoc jus cum non ex mutuo animorum consensu nasceretur, non esset matrimonium, & hoc, & non aliud dicit *Soto, Henriquez, Ledesm. & alij*, qui pro sententia contraria citantur. Præterea, licet ad matrimonij substantiam non requi-

quiratur copula actualis, ut patet in Matrimonio B. Virginis cum B. Josepho, *Matth. cap. 1. v. 20.* quod verum fuit matrimonium, juxta *Mag. in 4. D. 30. c. 3. D. Thom. in 3. p. q. 29. art. 2.* & juxta *Suar.* hoc est de fide: & tamen non fuit consummatum, requiritur tamen consensus saltem virtualis, & implicitus in obligationem ad actus conjugales, ex se aptos ad generationem proles, si à conjugè exigantur, cum ex sua institutione hoc habeat matrimonium, juxta illud: *Eriunt duo in carne una. Genes. 2. v. 24.* liquidem, ut ait *Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 3.* *Uxori vir debitum reddat, similiter autem, & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ita contra *Ponc. lib. 1. de Matrim. cap. 18. ex n. 7. Medin. & alios*, tenent *D. Thom. in 4. D. 28. q. 1. art. 4. & ibid. D. Bonavent. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 3. n. 1. Suar. p. 3. q. 29. art. 2. disp. 7. sect. 1. Sanchez de Matr. lib. 2. D. 28. ex n. 3. Vazquez, Barb. & alij.* Et licet B. Virgo non consensisset, nec consentire potuisset, voto obstante, in actum conjugalem, consensit in obligationem corpus tradendi ad tales actus, suam Virginitatem Divina dispositioni committendo, absque periculo tamen violandi votum, quia ex Divina revelatione cognovit, D. Josephum nunquam hoc suo jure usurum. *e. 3. 27. q. 2. D. Thom. in 4. D. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 3. Suar. & Sanch. ubi sup.* quod optime explicat *D. Thom. in 3. p. q. 29. art. 2. in corp. ibi: Respondeo dicendum, quod matrimonium, sive conjugium dicitur verum ex hoc, quod suam perfectionem attingit: duplex est autem rei perfectio, prima, & secunda: prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur. Secunda verò perfectio consistit in operatione rei, per quam res aliquatè suum finem attingit. Forma autem matrimonij consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonij est proles generanda, & educanda: ad quorum premium pervenitur per consensum conjugalem: ad secundam per alia opera viri, & uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam perfectionem omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei, & Josephi, quia uterque consensit in copulam conjugalem, non autem exprèsse in copulam carnalem, nisi sub con-*

ditione, si Deo placeret. Undè, & *Angelus* vocat *Mariam, conjugem Josephi. Matth. 1.* *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod exponens Aug. in lib. de Nuptijs, & concupiscentia, dicit: Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: quantum verò ad secundam perfectionem, que est per actum matrimonij, si hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum.* Et hæc ratio tenet *D. Hieronym.* quod *Josephus* custos fuit potius, quam maritus, & super *Matth. 1.* ait: *Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis scriptura, quod sponsi viri, & sponsæ uxores vocantur.* Nam ut *D. Thom.* notat *D. Hieron.* nuptias vocat nuptialem concubitum.

20 Profecto, consensus ad matrimonium debet esse omnino liber à metu gravi: quia cum sit vinculum perpetuum non sufficit voluntas, quæ ad alios contractus sufficeret. *e. 14. c. 29. b. t.* Et quidem consensus debet esse mutus. *e. 1. c. 3. de Sponsa duor.* Et simultaneous, saltem moraliter, ita ut post unius consentium non revocatum, neque expresse, neque tacite, accedat alterius consensus. *e. fin. de Procur. in 6.* Quæ omnia idè debent adesse, quia matrimonium est contractus utriusque obligans, & quidem in perpetuum; & idè non solum voluntas, & consensus utrumque requiritur, & prout sufficit ad alios contractus, sed insuper major libertas est necessaria. Consensus debet exprimi, vel per verba, vel per alia signa externa. *e. 2. 3. b. t. L. 5. tit. 2. p. 4.* Hæc enim sufficiunt, etiam in valentibus loqui ad valorem matrimonij, sicut in alijs contractibus, nec ratione præcepti Ecclesiæ plus requiritur, cum tale præceptum non extet. Sic contra alios tenent *D. Thom. Suar. Palacios, Sanch. de Matr. lib. 2. D. 31. ex n. 5. Pons. de Matrim. lib. 2. cap. 7. n. 14. & alij.* Sed cum verba sint aptiora ad consensum exprimendum, quam alia signa, idè necessaria, saltem ad faciliorem probationem censentur. *e. 13. de Spons. duor. c. 25. b. t. L. 5. tit. 2. p. 4.* ibi: *Conviene, que lo fagan por palabras: porque se pueda probar, si mensur fueren.* Et secundum eorum communem sensum interpretetur in dubio intentio contrahentium; ita tamen, ut magis stetur intentioni, quam verbis: nam verba intentioni deservire debent, non è contra. *e. 6. de P. S. Sanch. de Matrim.*

lib. 1. D. 18. & alij comm. Sanè per Interpretem potest matrimonium celebrari. Et si hic sit electus communi contrahentium consensu, plena, ei adhibetur fides in dubijs, si quæ contingant. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39 n. 4.* consensus quomodocumque expressus non debet esse fictus, vel simulatus, sed verus. *c. 26. b. t. L. 30. ff. de Rit. nuptiar.* Sic Titius per verba de presenti contrahens cum Seja, sed sine animo contrahendi, nullum sane contrahit matrimonium in foro interno, in quo non alius testis, quam veritas, & conscientia propria attenditur: In foro tamen externo, cum Ecclesia non iudicet de occultis, hoc matrimonium pro vero habebitur, donec probetur fictio. *c. 26. c. 30. b. t.* Nec ipsi, etiam cum juramento assentienti, animo, & consensu caruisse, creditur; *arg. t. 10. de Probation.* ne detur occasio matrimonia legitima dissolvendi cum maximo periculo, & damno contrahentium, & Sacramenti injuria, ac proinde ipsi Titius gravæ injustitiæ, & sacrilegij peccatum committit. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 11. n. 1.* Et cum hoc damnatum aliter non possit reparari, regulariter tenetur fidei contrahens, ablata fictione, verè in matrimonium consentire, & ad hoc potest in foro externo compelli. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 11. ex n. 4.* Si tamen cum alia verè contraxit, & per censuram cogatur cum decepta cohabitare, potius censuram (quæ tunc non ligat) sustinere debet, quam accedere ad non suam: cum nullam ob causam possit peccatum fornicationis committere. *c. 44. de Sentent. excomm. casu quo ex parte unius tantum deficiat consensus, quia vel fidei contraxit, vel gravi metu ductus est utriusque consensum de novo requirit, tenent Felin. Ledesm. & alij: sed cum alter verè sufficiens, ejusque consensus validus, & sufficiens ad matrimonium esset, & nondum sit revocatus, sufficit tantum de novo adjungi consensum illius, qui fidei, vel metu contraxerat. D. Thom. in 4. D. 29. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. D. Bonov. ibid. Navarr. Man. cap. 12. n. 51. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 32. n. 9.*

21 Non solum per se potest quis Matrimonium contrahere, sed etiam per Procuratorem, habentem ad hoc mandatum speciale: quod nequit alteri sine speciali facultate substitui, dum tamen tempore contractus matrimonij non sit mandatum revocatum. *c. fin. de Procur. in 6.* quod etiam post Tridentinum habet locum sic universali Ecclesiæ praxi testante.

Ita tamen, ut Procurator nomine sui principalis coram Parocho, & testibus contrahat, & potest Parochus dicere: *Ego vos Procuratores, quatenus representatis vestros principales conjugo.* Non tamen est necesse, quod Procurator constituatur coram Parocho, & testibus, quia nec jure, nec praxi hoc est inductum. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 11. ex n. 20. Gutier. & alij.* Similiter per epistolam potest matrimonium contrahi, dummodo, ubi Trid. est receptum, traditio, & acceptatio utriusque contrahentis coram eodem Parocho, & testibus fiat. *Sanch. de Matr. l. 2. D. 12. n. 3. Gutier. de Matr. cap. 45. n. 4. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 254. contra Ledesm. Rodrig. in Sum. & alios.* Matrimonium contractum, vel per Procuratorem, vel per Epistolam habet rationem Sacramenti: in Christianis namque numquam ratio Sacramenti dividitur à contractu; sed hoc habet speciale, quod per absentem, & per substitutum confici possit, licet alia Sacramenta hoc modo nequeant fieri; quia Christus non immutavit contractum, sed illum elevavit ad esse Sacramenti. Sic contra Durand. Can. *Ledesm. & alios tenent. Sanch. de Matr. L. 1. D. 11. n. 27. & alij.* In matrimonio enim non solum ratio contractus invenitur, ut in Lege veteri celebrabatur, & etiam hodie inter non baptizatos; *arg. c. 3. de Presbyt. non bapt.* Sed in Lege Evangelica ipse contractus matrimonij, fuit à Christo D. ad Sacramentum elevatus, ut est de fide contra Lutheranos, & alios. *Trident. sess. 7. de Sacram. in gener. Can. 1. & sess. 24. de Matr. Can. 1. Paul. ad Ephes. 5. v. 32.* ibi: *Sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quod fuit valde conveniens, ut gratia Divina conjugibus conferretur ad onera matrimonij sustinenda, cum vinculum perpetuum contineat, maxime ex Lege Christi apud *Matth. 5. v. 19.* Et quidem dum Christus nuptijs interfuit in Cana Galilee hoc Sacramentum, vel instituit juxta aliquos, vel saltem approbavit: & postea instituit, quando abrogata Lege repudiij ad suam naturalem indissolubilitatem illud restituit illis verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth. 19. v. 7.* *Sanch. de Matr. L. 2. D. 4. n. fin. Palae. Enriq. & alij.* Gratia Sacramentalis matrimonij duplex est effectus, alter concupiscentiam reprimere, alter efficere, quod conjuges prolem religiose educant, sibi

fideliter assistant, & operas suas communificent. Et quidem actus contrahentium sunt Sacramentum tantum, effectus Sacramenti est res tantum: vinculum verò, quo conjuges uniantur sunt res, & Sacramentum. *D. Thom. in 4. D. 26. q. 2. art. 1. ad 5. Sanch. de Matr. L. 2. D. 10. num. 3.*

22 Matrimonium, quatenus Sacramentum, potest definiti sic: *Est legitima viri, & mulieris conjunctio individuam vitam consuetudinem continens, gratiam sanctificantem conferens ritè dispositis.* Et quidem hoc Sacramentum in ipso tantum contractu consistit, nec post ipsum factum perseverat. Sacramentum enim est signum practicum ex opere operato sanctificans lucipientem. *Trid. sess. 7.* Et tantum in ipso contractu matrimonij conferitur conjugibus hæc gratia ex opere operato, non verò in ejus usu. Si verò conjuges peccato obstante, gratiam non consequantur in ipsa Sacramenti susceptione, eam durante matrimonio consequi valent, obice peccati per poenitentiam remoto. *Suar. de Penit. D. 28. sess. 6.* Ejus materia est eadem, ac contractus, siquidem hic non est mutatus, sed tantum elevatus ad Sacramentum; ac proinde materia remota sunt corpora contrahentium ad generationem idonea: proxima est actualis corporum traditio, & acceptatio. *Forma* est consensus utriusque verbis, vel alijs signis expressus in talem traditionem, & acceptationem. Sic *Suar. Bellarm. Sot. & alij cum Sanch. de Matr. L. 2. D. 5. n. 6.* contra varios *varie sentientes apud ipsum Sanchez.* Verba consueta, quibus consensus exprimitur, sunt hæc, vel similia: *Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum. c. 31. b. t. L. 2. tit. 1. p. 4.* ibi: *Quando dico el omne: To te recibo por mi muger; è ella dice: To te recibo por mi marido, è otras palabras semejantes de estas.* Hinc est, quod cum ipsi contrahentes ponant formam: non Parochus, ut *Can. L. 8. de Locis, cap. 5. ad 5.* censuit, sed ipsi contrahentes sunt hujus Sacramenti *Ministri*; quod est singulare in hoc Sacramento. *Suar. tom. 1. de Sacram. q. 65. D. 16. sess. 1. Sanch. de Matr. L. 2. D. 6. n. 2. Bellarm. Ponc. Gutier. & alij.* Et jam contraria sententia ab aliquibus improbabilis, ab alijs temeraria, & ab omnibus minus probabilis censetur. Vide *Lacroix L. 6. p. 3. n. 28.* * Siquidem ante Trid. matrimonium à fidelibus contractum sine Parocho valebat, ut Sacramentum; & si-

ne Ministro nequit Sacramentum confici. Parochus enim non profert verba, tanquam Sacramenti Minister, sed declarat, confirmat, & approbat, quod inter ipsos fit, vel factum est. Et sicut unus tantum est contractus, ita etiam unicum est Sacramentum, licet in utroque recipiatur: sic contra dicentes, esse duo Sacramenta partialia, & unum totale tenent *Sanch. de Matr. l. 2. D. 10. num. 5. & alij*; quia licet ibi sint plura materialiter, & in genere entis, est unicum signum representans unicam unionem Christi cum Ecclesia: & unica materia, & forma, & neutra per se hoc representat. Hinc si fidelis cum infideli contrahat, sicut olim Clothildis cum Clodovæo Ethnicæ Rege Galorum contraxit, solum rationem contractus habebit tale matrimonium, non verò Sacramenti, cum hoc deberet utrumque efficere, quod impossibili est ex parte infidelis; quia ante baptismum est incapax Sacramenti recipiendi. Ita contra paucos, tenent *Gutier. de Matr. cap. 42. n. 4. Sanch. de Matr. L. 2. D. 8. n. 2. Vazq. Ponc. & alij.* Fideles contrahentes matrimonium, quod fortè ignorant, esse Sacramentum, cum habeant intentionem faciendi, quod faciunt alij fideles, vel Ecclesia, etiam Sacramentum suscipiunt. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 10. n. 6. ex D. Thom. & alijs.* Imò, etiam si habeant positivam intentionem solum contractum celebrandi, & nullo modo Sacramentum; nam in matrimonio inter fideles contracto nequit ratio Sacramenti à ratione contractus separari. Siquidem *Trid. sess. 24. de Matr. Can. 1. & Florent. in Decr. un. S. 5. & S. 7.* Indefinitè, & sine exceptione, nec distinctione dicunt, matrimonium fidelium esse verè, & propriè Sacramentum: ergo de omni matrimonio fidelium, hoc intelligendum est. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 10. num. fin. & alij contra Scot. in 4. D. 26. q. un. Vazq. Ponc. de Matr. lib. 1. cap. 9. num. 3.* Hinc Hæretici, dum matrimonium celebrant, si volunt conficere Sacramentum, ex errore speculativo; cum tamen absolute velint contractum celebrare, utrumque faciunt, & contractum, & Sacramentum ipsi connexum. Si verò ita velint separare Sacramentum à contractu, ut nullo modo velint contractum consentire, si non separatur à Sacramento: neutrum faciunt. Siquidem deest consensus necessarius ad contractum. Matrimonium infidelium, & ad fidem

dem convertantur, & baptizentur in Sacramento transire, ac proinde illud matrimonium, quod antea erat tantum contractus, erit tunc etiam Sacramentum. Ita tenent *Sanch. de Matr. L. 1. D. 9. n. 5. Gutier. cap. 42. n. 5. Bellarm. de Matrim. L. 1. cap. 5. Enriq. Lajm. & etiam sic D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 2. ad 1. sentire videtur. Statim enim ac illi conjuges baptizantur, Matrimonium illud repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, cum perseveret contractum in Christi fide, & indissolubile redditur, ut Matrimonium ratum fidelium, ac proinde statim, ac baptizantur illud Matrimonium efficitur Sacramentum. Contra *Vazq. tom. 2. in 3. p. D. 138. cap. 5. Ponc. de Matrim. L. 1. cap. 9. n. 8. & alios*, qui in esse contractus tantum manere dicunt.*

23. Effectus Matrimonij ritè contracti varij sunt, conjux equidem, alio vivente, nequit cum alia persona contrahere Matrimonium: nec ullo modo, sive in effectu, sive in affectu cum alio carnaliter commiseri. *c. 19. b. t.* Deinde conjuges tenentur educare prolem in Religione vera, bonis moribus, pietate, & artibus, colque alere, non solum tribuendo cibum, & potum; sed & vestitum, habitationem, suppellectilem domesticam, medicamentis, & studia pro conditione status. *L. 43. ff. de V. S.* Et quidem pater, principaliter; mater tantum in ejus defectum: etiam si liberi sint illegitimi, & spurij. *c. 5. de eo, qui duxit*: quia sic jus naturale dicitur, nisi habeant ipsi unde alantur, vel sint ingrati. *L. 5. §. 7. & 11. ff. de Agnos. & alend. liber.* Debentque ipsi conjuges mutuo cohabitare in eadem domo, utendo mensa, & toro communi. *c. 1. & 2. de Conjug. Lepros.* & deducitur ex *Genes. 2. Matth. 5.* nisi ambo in separationem consentiant, & nullum sit incontinentiæ periculum. *1. Cor. 7.* Vel si subsit justa causa; v. g. quia vir ad bellum, vel Provinciam regendam à Principe destinatur: tunc etiam uxore invita potest discedere. Præterea, licet neuter conjugum regulariter debitum petere teneatur, cum nullus suo jure cogatur uti, nisi ex charitate quatenus credat, alteri periculum incontinentiæ imminere. Tamen, uno petente, alter reddere tenetur: nam dum *Deus Genes. 2.* dixit: *Crescite, & multiplicamini*, actum conjugalem præcepit. Et constat ex *Apost. 1. Cor. 7. v. 3.* *Uxori vir debitum reddat*: simili-

ter autem uxor viro: reddere eum unicuique, quod suum est, quale est corpus viri respectu uxoris, & e contra, est actus justitiæ. Hinc patet Manichæorum delirium, qui Matrimonium, esse malum asserunt; & aliorum credentium, actus conjugales esse illicitos; nam alias à Domino non præciperentur. Accedere enim ad uxorem gratia alicujus finis, qui ad tria bona Matrimonij pertinet, licitum est, & actus virtutis; ut si quis accedat gratia servandæ fidei, vel communicationis indissolubilis, vel ob bonum proliis, *Quin*, & actus honestus erit talis accessus ad fornicationem vitandam, vel in alio conjugate, vel in se. Actus conjugalis tunc, aut restaurandæ salutis causa, cum finis non sint malus, non est peccatum, ne quidem veniale. *Ponc. de Matr. L. 10. cap. 8.* qui etiam ait, intemperantiam voluptatis esse, ac proinde peccatum veniale, si conjugati utantur cibis calidis, aut unguentis, oleis, musco, & alijs medicamentis ad excitandam, & accendendam magis voluptatem. Et hac ratione *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, *qua est 9. opus conjugij ob solam voluptatem exercitum omni penitentiæ caret culpa, ac defectu veniali.* Non verò comprehenditur in damnatione exercere opus conjugij ob finem honestum, etiam si simul fiat ob delectationem, & voluptatem. Et simili ratione est damnata ab ipso *Innoc. prop. 8. Comedere, & bibere, usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non ob sit valetudini, quia licitè potest appetitus rationalis suis actibus frui.* Licet olim actus conjugalis videatur prohibitus, quando erat iumentum Eucharistiæ, vel cum jejunandum erat, vel etiam diebus Dominicis, & festivis: tales sanè prohibitiones, vel solum ob decentiam factæ sunt, vel jam omnino cessarunt. *Ponc. de Matr. L. 10. cap. 9.* petere debitum tempore menstrui, si incontinentiæ periculum, vel alia causa non urgeat, videtur esse veniale, cum mulier tunc sit aliquantulò incepta commodæ seminis receptioni, ac retentioni: at verò reddere, cum vir admonitus non respicit, licitum est: imò ad hoc tenetur mulier ex debito justitiæ, nec datur sufficiens causa ab hac obligatione eam exculans. *D. Thom. in 4. D. 32. quest. un. art. 2. quest. 3. in corp. Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 21.* ubi latè de his tractat plures sententias referens. Etiam licitum per se est accedere ad mulierem tempore, quo gra-

gravidæ est. Item post partum ante purificationem, & etiam tempore, quo infans lactatur. Textus tamen, in quibus contrarium constare videtur, intelligi debent, quando est periculum abortus, vel aliud inconveniens invenitur. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 22.* Quando ambo conjuges sunt amentes sperandi sunt ob evidens damnum proliis, quæ careret parentibus, qui eam educare, & instruere possent. Si verò unus sit mentis compos, sive vir, sive femina licitè ad consortem accedit, nisi periculum abortus, vel aliud inconveniens hoc impediatur. Sanus verò non tenetur reddere debitum furioso petenti, sicut nec ebrio, quia non petunt modo humano, nisi adesse in petente incontinentiæ periculum. *Sanch. de Matrim. L. 9. D. 23.* Debitum petere, vel reddere in loco publico lathale esset ob scandalum, quod insipientibus daretur. Nec in loco sacro potest peti, nec reddi debitum ob decentiam, & reverentiam loco sacro debitam. Et ea copula esset mortalis, & sacrilega, & locum sacrum violaret. *c. 20. de Consecr. D. 1. c. 5. de Adulter.* nisi in casu necessitatis, quo saltem unus ex conjugibus obfessus esset diu in Ecclesia, & non esset aditus ad alium locum, ubi talis actus posset exerceri: quia tunc difficillimum continere esset, & communiter adesse incontinentiæ periculum, quamvis desit in aliquibus particularibus conjugibus, aut eventibus. *Sanch. de Matr. L. 9. D. 15.* ubi plura asserit. Actus conjugalis nunquam est culpa mortalis, nisi non servetur modus ordinatus, & naturalis concubendi, dum fiat in vase debito, & sine periculo generationem impediendi: ac proinde, non erit lathale, sive congrudiantur stando, sedendo, vel à latere, vel præposterè more pecudum accedendo: erit tamen veniale grave, saltem propter abusum, & indecentiam, nisi fortè dispositio corporum, vel alia causa justa id excuset ab omni peccato. Et quamvis uxor non teneatur reddere debitum, quando adesse periculum effusionis seminis, tenetur tamen reddere, quando hoc periculum desit, quamvis alias ratione mutationis situs culpam venialem committeret sic exigens. *Sanch. de Matr. L. 9. D. 16.* ubi plures sententias refert *Ponc. de Matr. L. 10. cap. 11.*

24. Qui dubitans de matrimonij valore ob suspensionem impedimenti latentis matrimonium contraxit, nequit ob malam fidem debitum petere, sed si alia

pars bona fide contraxisset, & habeat jus petendi debitum, & utendi re, quam bona fide possidet, etiam mala fidei possessor reddere tenetur, ne bona fidei possessor suo jure spoliatur: *arg. c. 2. de Secunda nupt. Sanch. de Matrim. L. 2. D. 42. n. 2. & alij, contra Soto, & alios.* Similiter potest reddere, si ipsi, matrimonio jam contracto, dubium de matrimonij valore superveniat, tenetur tamen diligentiam sufficientem ad inquirendam veritatem adhibere, & sic intelligitur *Text. in c. 44. de Sent. excommuni.* quod si adhuc dubitet, reddere, & petere potest; nam nulla est ratio, ut jure legitime acquisito privetur, nec spoliatur possessione bonæ fidei, quam habet: ac proinde nec fructu, & usu ejus: redditione, scilicet, & petitione debiti. In dubio enim melior est conditio possidentis. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 41. ex n. 46. Soto, 1. edesim. & alij, contra alios aliter sentientes.* Si post matrimonium contractum non solum dubium, sed opinionem habeat aliquis conjugum de nullitate matrimonij, quam nec adhibita diligentia, elidere potest, reddere debet, quia non potest alterum sine certitudine, sua possessione spoliare, petere tamen nequit, quia licet possessio suffragetur dubitanti, non tamen habenti assensum opinativum. *c. 44. de Sentent. excommuni.* Aliud esset, si etiam contra opinionem probabiliorum de matrimonij nullitate, habeat opinionem verè probabilem de ejus valore: nam ei se conformando potest reddere, & petere. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 44. ex n. 2.* Si utrique conjugi dubium de matrimonij valore superveniat, neuter petere potest ante adhibitam sufficientem diligentiam: si ea adhibita, dubium persistat, uterque petere valet: si ante diligentiam adhibitam alter illicitè petat, alter non tenetur, nec potest reddere debitum: nam cum alter non habeat jus petendi, negans nullo jure eum privat; imò si redderet, exponeret se, & compartem periculo fornicationis, non tantum materialis; sed & formalis, cum nullo jure talis actus cohonestetur. Aliud est, quando mala fidei possessor petat, & altera pars bona fide possidet: nam tunc licet debitum negari possit, quia petens non habet jus petendi, reddere tamen potest, quia ipse est in possessione bonæ fidei, & ea potest uti, petendo, & reddendo, nec tenetur credere comparti de matrimonij valore dubitanti: imò nec asserenti, illud esse nullum. *Sanch. de Matr.*